



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 59. Bellum inter Gallos, & Hispanos continuatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI.

§. LIX.

A.C. 1597.

Bellum inter Gallos, & Hispanos
continuatum.*Thu. Spond.**l. c. Gall.**pag 370.**Daniel hist.**de France.*

Verum hujus oppidi jactura inopino variantis fortunæ beneficio adeo copiose resarciēbatur, ut exinde Gallorum res plurimum turbatæ, Hispanorum vero potenter erectæ ad pacem inter ambos Reges pangendam haud exiguum momentum afferrent; postquam enim Dorlanum, munita Picardiæ Urbs, anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto ab Hispanis occupata fuerat, a Fontano Comite illius Gubernator nominabatur Ferdinandus Tellius Protocarerus Bellidux longa armorum exercitatione efferatus, qui sæpius Ambianum Picardiæ Metropolim sexta, vel septima leuca Dorlano distitam, cum illa adhuc foederatis pareret, attentamente perlustrans, illius situm, cunctaque munimenta satis perspecta habebat, semperque in magnanimo suo pectore hanc urbem Hispano Regi suo subjiciendi consilia agitabat, eoque sæpius sub ementito Religiosi, Rustici, vel pauperis habitu contendens, urbem a solis civibus securitatis fiducia sopitis negligentius custodiri deprehendebat; accessit quoque ad grande hoc facinus tentandum connobii jungendi cupiditas cum

cum quadam prædivite Ambianensi vi-
 dua, quæ Protocareri nuptias minus
 decoras existimabat, nisi ipse vel Dor-
 lanum Gallico Regi, vel Ambianum
 Hispano Regi vindicaret: sub idem tem-
 pus peropportune quidam Damelinus
 nomine, Ambianensis civis, ob sua
 scelera proscriptus Dorlanum venerat,
 qui vel ultionis libidine, vel impunita-
 tis spe incitatus Protocareri benevolen-
 tiam sibi conciliare nitebatur, eidem
 insinuans, haud arduum factu fore, ut
 Urbs inopino impetu obrueretur, cum
 cives, utpote magis ad privata sua ne-
 gotia, quam ad bellica assueti, non
 raro Urbis portas pro advehenda anno-
 na apertas paucis, iisque incuriis cu-
 stodibus committerent, cum sic facili
 negotio sensim milites aliquo astu intro-
 duci possent,

§. LX.

*Ambianum ab Hispanis bellico strata-
gemate interceptum.*

Igitur Protocarerus rem minime negli-
 gendam ratus plures, ac præcipue
 Franciscum ab Arcu strenuum centu-
 rionem, ac Gallici idiomatis probe gna-
 rum in urbem exploratum misit, qui
 non ita pridem civitatem non modo an-
 nona, sed & Helvetico milite, bellico-
 que apparatu a Rege munitam fuisse,
 de

Sæcul. XVI.
 A.C. 1597.

Thu. l. c.